

quantitatem, tum quoad coexistentiam, tum quoad existentiam successivam &c. Variæ relationum genera sibi facile repræsentabit quisquis ad ea attenderit, quæ in Logica de Categoriis explicavimus. Satis erit observare, relationes alias esse *intrinsecas*, sive *reales* aut *necessarias*, alias vero *extrinsecas*, seu *fictas* & *contingentes*. Intrinseca relatio vocatur illa, quæ ex ipsa rei natura dimanat; si nempe res illa existere vel concipi non possit nisi cum ordine quodam ad aliquem terminum; ita filius ad patrem, effectus omnis ad causam. Extrinseca relatio dicitur illa, quæ ab intellectu soloque hominum arbitrio pendet; ita relatio lauri appensæ ad tabernam: ita relatio vocis ad ideam voce expressam, extrinseca & contingens censeri debet. Præterea relatio dividitur in *increatam* & *creatam*. Increata sive divina quadruplex est; tot enim sunt in Deo relationes quot sunt ordines seu respectus. Sunt autem in Deo quatuor ordines seu respectus, *paternitas*, nimirum, *filiatio*, *spiratio activa*, & *spiratio passiva*; nempe paternitas essentialiter refertur ad filiationem, filiatio ad paternitatem, spiratio activa ad spirationem passivam, & viciissim spiratio passiva ad spirationem activam. De fide est contra Sabelianos in divinis realitet distingui relationes, *paternitatem*, scilicet, *filiationem*, & *spirationem passivam*. Et quidem prima persona distinguitur a secunda quod sit Pater, secunda quod sit Filius, tertia quod sit Spiritus Sanctus; sed prima, secunda, tertia persona, sunt Pater, Filius & Spiritus